

cogitatio nostra, ubi primum publico specimine suas pe-
 riclitari vires constituerat, à tam proclivi novitatis studio
 in partes traheretur; nisi intempestivos illos novarum in-
 ventionum procos Hipponensium Antistes, hac prolata vo-
 ce redarguisset: *Mira sunt, quæ dicitis, nova sunt, falsa sunt.*
 (e) Itaque jam media tutissimum ire via visum est, quæ duce
 nec prorsus novum, quod proverbio inveniunt, remi genus
 offeremus, nec Iliada scribere post Homerum videbimur,
 non abs re dictum arbitrati:

— — ἐχθρὸν ἢ μοι εἶναι,
 ἄλλοις ἀρεξήλωσ εἰρημένα μυθολογέουσιν. (f)

Utrum vero, quod intenderat animus, feliciter satis per
 Capillamentorum Considerationem assequamur, æqui bo-
 niqve Lectores rectius atqve nos decernent. Id affirmare
 audeo, qui Problematica Methodo, quam in præsentiarum
 observare voluimus, de Capillamentis ex professo egerit,
 neminem a me esse inventum. Utinam igitur, quæ conati
 sumus, non displiceant, cordatis; quibus si id persuasum
 senserimus, hæc pagellas non ex quadam intempestiva ta-
 xandi præscribendiqve arrogantia, sed studio potius in mi-
 nutis etiam exercendi Industriam esse natas, tum demum
 maximopere nobis gratulati haud in cassum laborasse vi-
 debimur. DEUM autem Opt. Max. cujus sub auspiciis ma-
 num huic operi admovimus, ut hos aliosqve studiorum
 nostrorum proventus, pro ineffabili benignitate sua
 dirigat & secundet, quæ par est, reverentia &
 devotissimi animi submissione
 invocamus.

PRÆ-

(e) l. 3. contra Julian. c. 3. (f) Odyss. μ. v. 452.